



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 3. Securitatis literæ ab Hieronymo Constantia profugo petitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

abeunti fidem dedisse, se brevi secuturum, Sæcul. XV.
A.C. 1415.
& quamprimum eum Constantiæ afflic-
tari sibi innotesceret, illico suppetias la-
turum. Ceterum Joannes Hussus, post-
quam carceri mancipatus fuerat, Hiero-
nymo per quosdam suos Amicos Con-
stantiam venire dissuasit, veritus, ne illi
eadem secum fors accideret. Nihilomi-
nus tamen Hieronymus quævis pericula
adire, quam fidem Hussu datam fallere
satius duxit. Ergo quarta Aprilis die,
comitante quodam ejus Discipulo, Con-
stantiam accessit, atque ambo inter innu-
meram incolarum frequentiam minime
cogniti urbem ingressi sunt, in qua Hie-
ronymus licet haud diu moraretur, pro-
lixum cum Hussu colloquium habuit.

§. III.

*Securitatæ literæ ab Hieronymo Con-
stantia profugo petitæ.*

In aspectu carceris, quo detinebatur Hus- *Reichenat*
sus, fremuit Hieronymus, ac non mo- *p. 224.*
dice indignabatur, intelligens, publicum
colloquium illi denegatum fuisse; qua-
propter & ipse capiti suo metuens, una-
cum suo discipulo post biduum Uberlin-
gam auffugit, ubi ampliori fruens liber-
tate ad Imperatorem, ac Bohemiæ Pro-
ceres in Synodo præsentem epistolam mi-
sit, suæque securitati datis literis caveri
petiit.

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

petiit. Imperator ab initio reluctatus est, cum vero a Bohemiæ Nobilibus urgeretur, ipsamque Concilium instaret, dixit: Dabimus ei salvi comeatus literas, quibus munitus accedat, non tamen inde recedat.

§. IV.

Hieronymus in Bohemiam reversus.

Hieronymus comperto Cæsaris responso, ad omnes Basilicas, & Monasteria urbis Constantiensis, necnon ad fores Cardinalium libellum affigi curabat, Latina, Germanica & Bohema lingua conceptum, quo Imperatori & Synodo significabat, se paratum esse Constantiam venire, ut doctrinam suam coram universo Concilio defenderet, atque Adversariorum suorum calumniam dilueret, si vero cujusdam erroris convinci posset, se omnes Hæreticorum pœnas ultro subiturum; proin se Imperatorem & Synodum rogare, ut sibi publicam securitatis sponsonem facerent, qua impetrata, si nihilominus aliquam vim, sive carceris pœnam, vel aliam quamcunque molestiam pateretur, universum orbem contra Concilium, injustitiæ testem futurum. Verum cum furdas pulsaret aures, in Bohemiam reversus est.

§. V.